

DE  
BAPTISMO SVPER MORTVIS  
AD LOC. PAVLI I. COR. XV. v. 29.  
HAERETICO COMMENTO  
SCHEDIASMA



*VIRO*  
*PLVRIMVM, REVERENDO, AMPLISSIMO,*  
*DOCTISSIMOQVE*  
DOMINO  
GOTTLOB HERRMANNO

*ARTIVM MAGISTRO*  
ET DIACONO HACTENVVS, AD AEDEM,  
BISCHOFFSWERDAE, DIVO NICOLAO  
OLIM SACRAM, QVAM MERITISSIMO  
FAVTORI ET AMICO SVO HONORATISSIMO,  
CVM AD OFFICIVM

ARCHIDIACONI

IBIDEM EVEHERETVR,  
IN SINGVLARIS AMICITIAE TESSERAM  
DAT, DICAT, DEDICAT,  
SIMVLQVE DE OFFICIO NVPER IPSI COLLATO  
GRATVLATVR

IOANNES FRIDERICVS Klossch

ADVOCATVS IMMATICVLATVS, ET PRAEFECTVRAE  
STOLPENENSIS ACTVARIVS IVRATVS

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.





DE  
BAPTISMO SUPER MORTUIS  
AD LOCUM I. COE. VII. 20.  
HARRICQ. COMMENTO  
SCHEDESSMA

VIRO

PLURIMIS REVERENDIS, AMPLISSIMIS,  
DOCTISSIMISQUE  
DOMINO

GOTTLOB HERMANN

ARTIVM MAJESTRO  
ET DIACONO HAGTENVE, AD AEDIVM  
S. MARTINI, CIVITATIS N. COLON.

IN  
CIVITATE N. COLON.

DIACONI

IN  
CIVITATE N. COLON.

ET  
CIVITATE N. COLON.

IOHANNES FRIDERICVS

ADVOCATVS IN REBUS CIVILIBUS ET CRIMINALIBUS  
CIVITATIS N. COLON.

REVERENDIS, AMPLISSIMIS,  
DOCTISSIMISQUE

bit.  
TV  
V.  
Cap  
fan  
aeq  
cifi  
me  
reb  
Ko  
ri  
cep  
tu  
sec  
sel  
pr  
Ca  
ba  
ba  
ca







§. I.

**R**itum baptizandi, diuerso, licet, ad salutem, obiecto, antiquif- *Ritus bap-*  
simum, esse, et praeter Christianos, apud gentiles atque *tizandi*  
Iudaeos, consuetudine fuisse receptum, nullus forsan, nisi *antiquif-*  
quem omnis antiquitatum sacrarum fugit notitia, nega- *simus est*  
bit. De gentilibus etenim, tale quid commemorant nobis TER-  
TVLLIANVS *Cap. XL. de praescripti. et in Libro de baptismo, Cap.*  
V. itemque AVGVSTINVS *de baptismo contra Donatistas Lib. VI.*  
*Cap. XXV.* De Iudaeis vero id testantur Scriptores domestici, *et apud Iu-*  
fama celebres, imprimis RABBI MOSES MAIMONIDES, qui *daeos usu*  
aeque baptismum, Iudaeis profelytis, fuisse necessarium, ac circum- *seruatus*  
cisionem, dum modo pro vere Iudaeis haberi voluerint, euidentissi-  
me nos edocet, *in Halach Issure Biak, Cap. XIII.* Tribus, inquit,  
*rebus, Israelitae ingrediuntur foedus, circumcisione, baptismo, et*  
*Korban.* Eodemque modo, *si gentilis, vel Christianus, ad foedus admit-*  
*ti voluerit, et hospitari sub alis maiestatis diuinae, et propterea re-*  
*ceperit in se iugum legis, necesse habet, ut circumcidatur, ut baptize-*  
*tur, ut adferat Korban.* Profelytus, qui quidem est circumcisis,  
*sed non baptizatus, et baptizatus, non autem circumcisis, non est pro-*  
*selytus, usque dum circumcidatur et baptizetur.* Duplicis generis  
profelytos habuerunt Iudaei, teste SELDENO, *in iure gentium Lib. III.*  
*Cap. IV.* foederis scilicet, seu iustitiae, et inquilinos. Hi nunquam  
baptizabantur, sed septem praecepta Noachidarum tantum serua-  
bant. Illi autem, aqua lustrabantur, sed, examine prius strenuo, de  
causis accessus, et institutione ad fidei articulos, quos IKKARIM





vocabant, praemissa. Reiterabantur haec, prius quam, aquae conceptacula ingrederetur baptizandus, a triumviris quibusdam adstantibus, qui non solum, de profectibus in doctrina, sed, actu etiam baptis mali ipso iudicabant, ac confessione profelyti peracta eum in aquam ingredi iubebant, ita quidem, ut haec corpus undecunque cingeret, sed una tantum vice, semet ipsum immergeret, prout ex MAIMONIDE adducto, accuratissime recenset, idem SELDENVS *de Synedriis, Lib. I. Cap. III.* a quo simul edocemur, huncce baptismum originarie, rem mere forensam, nec baptizare quenquam in Sabbatho, aut die festo, neque nocte, permissum, fuisse. Hinc sacerdotes, ab eiusdem exercitio abstinuisse, colligendum, ac inferendum, per circumcisionem sacris, proprie sic dictis, initiatos fuisse profelytos, per baptismum autem, ut cum Quiritibus loquar, ius ciuitatis demum adeptos. His autem peractis, ad hostiarum mactationes et sacrificia tandem fuisse admissos, idem perhibet MAIMONIDES, *l. c.* Respiciunt huc forsitan, quae in *ARRIANI Epicteto, Lib. VI. Cap. IX.* leguntur: *Τί ὑπεροκλήνη Ἰουδαῖος ὢν ἑλλην, οὐχ ὄρεῖς, πῶς ἕκαστος λέγεται Ἰουδαῖος, πῶς Σύρος, πῶς Ἀιγυπτίος. Καὶ ὅταν τῶν ἑπαμ φοτερίζοντα ἴδωμεν εἰώδαμεν λεγεῖν, ὅτι ἔστιν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρινεται ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένον, καὶ ἡσημένον (περιηρημένο) τότε καὶ ἐστὶ τῶ ὄντι, καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. Quam ob causam vis haberi inter graecos, cum sis Iudaeus? An nescis, quam ob causam quisque habeatur pro Iudaeo, pro Syro, pro Aegypto? At, quando conspexerimus aliquem incertarum partium, atque ancipiti fide, dicere solemus: Iudaeus non est, sed simulat. Quum autem adfectum baptizati et circumcisi adsumserit, tunc et est revera et dicitur Iudaeus.* Postremis tamen Iudaicae monarchiae temporibus, baptizandi ius prophetis etiam, extra ordinem tamen, fuisse permissum ex *Iob. I. v. 25.* colligere licet.

Origo baptismi apud Iudaeos.

§. II. Origo instituti, unde petenda, non satis liquet. De circumcissione enim extat mandatum diuinum, *Exod. XII. v. 48.* et de sacrificio *Levit. XIX. v. 24.* Nullibi autem de baptismo unum.

TAL-





TALMVDICI in Codice : *Iebhammoth*, in tempora Abrahami reponunt, prouocantes ad textum. *Exod. XXIV. v. 8.* LIGTFEET in *Genes. XXIV. v. 2.* cardinem rei inuenisse sibi perfuadet in *Harmonia Euangelistarum, et Horis Haebraicis ad Euangelium Matthaei* RABBINI vero, imprimis MAIMONIDES, BECHAI, ABEN ESRA, et ABAERBANEL in *Commentariis suis ad Codicem Iebhammoth* ad dictum *Exod. XIX v. 10.* fugiunt, dubiis tamen undicunque rationibus, quas refutando detexit CYPRIANVS in *Dissertat. de baptismo profelytorum, iudaico sacramento Cap. III.* qui tamen §. 24. originem sub templo secundo, cum adhuc in Palaestina essent Iudaei, et ordinem iudiciorum constitutum haberent, praesertim circa ortum artis caballisticae, quaerit, et putat, ad analogiam purificationis in initiandis, ritum baptismi probabiliter fuisse reasumptum. Si vero coniecturis locus sit dandus, in memoriam migrationis ex Aegypto receptum fuisse baptismum profelytorum, non ambigo. Loquitur enim Apostolus PAVLVS *I. ad Corinth. X. v. 1. 2.* de baptismo quodam in Mose, verbis sequentibus: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transferunt, et omnis in MOSE BAPTIZATI SVNT in mari et in nube.* Quibus SELDENVS *Lib. I. de Synedriis, Cap. III.* sequentem apposuit exegetin, „eruditorum examini submissam. Putat enim θαλάσσης vocabulum, quod plerumque totum aliquod mare significat, sumi etiam „in sacro codice, pro eodem ipso, quod est ἕδωρ, siue aqua, atque „aliis minoribus aquarum conceptaculis, uti *I. Reg. VII. v. 23.* „*II. Paralip. IV. v. 3.* legitur. Concludit inde, nomina illa, mare „seu θαλάσσαν indicantia, pro mari et aquarum congregationibus, „synonymice ita sumi, ut non mirum videatur, si etiam apud Apo- „stolum, ad Corinthios scribentem, baptismus ἐν τῇ θαλάσσει, pro „baptismo, in aquarum conceptaculis, simpliciter intelligatur. Si „quis igitur in conceptaculis aquarum fuerit baptizatus, idem fuisse „apud Iudaeos, ac si totum eius corpus διήλθε, per aquam transi- „ret, rationibus etiam adductis, imprimis ex *Levit. XI. v. 32.* pro- „bans





„bans inde, quod columnae nubis, ratio admodum singularis fuerit  
 „in baptismo iudaeorum, idque ex testimonio *Rabbi ZACHARIAE*  
 „in *Pircke Eliezer*, Cap. XLIV. *Columna nubis circum ambiebat*  
 „*castra Israelitarum, ut murus urbem cingit. Neque potuit hostis*  
 „*seu inimicus ad eos peruenire: sed vero cuiuscunque opus ponebat ba-*  
 „*ptismo, cum nubes conseruabat etiam extra castra, quae sancta*  
 „*erant*, pergens: si de mari rubro, locus sit capiendus, mirum esse,  
 „quod Paulus dixerit: se nolle eos ἀγνοεῖν ignorare illud. Haec  
 „enim sit locutio, non quasi de re expressim, nec semel in sacris lit-  
 „teris commemorata, sed quasi de eo, quod recepta interpretatione  
 „maiorum tantum, compluribus tamen ignoratum, videretur, quale  
 „omnino sit, quod de patrum baptismo ostensum. Profluere hinc  
 „sensum Paulianae sententiae genuinum: *Nolo vos ignorare* (rem  
 „compluribus ignotam) *quod patres nostri omnes sub nube* (pro-  
 „tegente) *erant, et omnes in conceptaculis aquarum immersi sunt,*  
 „*et omnes in Mosen* (in Mosaicam legem) *baptizati sunt, in nube*  
 „*et conceptaculis aquarum.* Metaphoricam tamen esse hancce in-  
 „terpretationem, et nimis verborum ambagibus, a simplicitate Apo-  
 „stoli admodum alienis, circumscriptam iam dudum animaduerte-  
 „runt viui eruditissimi. Pro ingenio igitur meo, quod, quam exi-  
 „guum sit, omnino sentio, alias quasdam superstruam meditationes.  
 „Ambulantibus scilicet, per mare rubrum Israelitis, praesto erat ad  
 „dexteram et sinistram aqua, caput vero tegebat nubis columna. Sic  
 „obruiti et sepulti quodammodo poterant videri, et emergere ac re-  
 „furgere denuo, ad littoris obiectum exeuntes. Cum igitur Deus,  
 „mirabili hocce beneficio, tutelam in populum susceptam, confir-  
 „masset, eumque a compedibus rursus minantibus, internecone  
 „Pharaonis eiusque exercitus, liberasset, non potuit non fieri, quia  
 „Israelitae, beneficii vinculo iterum mancipati, doctrinam mosai-  
 „cam eo desideratius appeterent, et nexu gentilium, quorum com-  
 „munioni admixti, semel ipsos etiam contaminauerant, laetissime  
 „liberati, non absolum fore putarent, in memoriam transitus, quo  
 „peragente, per nubem, in refrigerium aestus imminetis, pluuiam  
 „copio-

copi-  
 dum  
 latric  
 dam  
 conu  
 defun  
 bap  
 minu  
 parur  
 bus n  
 MER  
 cris a  
 deban  
 IOR  
 CVM  
 grata  
 dia p  
 ab om  
 AFFL  
 IN A  
 habet,  
 S  
 tur. i  
 contan  
 ros, n  
 necess  
 XXX  
 rosoly  
 ceeret,  
 lustrab  
 tum, e  
 iudaeo





copiosam demissam fuisse, ex *Psalmo LXVIII*, v. 7. 8. 9. colligendum, baptismum profelytorum instituere, quo illi a sordibus idololatricis etiam abluerentur, quibus maiores sui, in mari rubro, quondam fuerint expiati. Confirmat sententiam, tota, allegati capitis, connexio, ubi Corinthios suos, de idolorum cultu, carpit Apostolus, desumpta hinc ratione, cur tam multi Israelitarum, licet in Mose baptizatorum, priscis olim temporibus fuerint trucidati. His non minus respondet, quod in memoriam Aegyptiacae seruitutis, agaparum instituendarum rationem amplexi etiam sint Iudaei, de quibus nixus autoritate MORNAN et FAGII sequentia habet BOEHMER in *Dissert. ad Plin. et Tert. IV. Cap. III. §. 12 Conuiuiis sacris ad finem fere perductis, pater familias mediam placentam dividebat, maximam partem sub mantili collocans, iudicio futurum, MAIORES SVOS MASSAM SVAM, LINTEIS ILLIGATAM, SECVM DETVLISSE, alteram vero partem in medio duarum integratarum placentarum statuebat. Singulis scutellam, in qua dimidia placentia collocabatur, apprehendentibus et eleuantibus, alta voce ab omnibus cautabatur: HIC EST PANIS PAVPERTATIS ET AFFLICTIONIS, QVEM MAIORES NOSTRI COMEDERVNT IN AEGYPTO. Quisque esurit, veniat, et comedat, quisquis opus habet, accedat et comedat de oblatione agni paschalis.*

§. III. Soli igitur profelyti, non vero natu Iudaei, baptizabantur. illi enim innumeris licet ac infinitis defectibus peccatisque contaminati in sententia tamen persistabant, se esse satis lotos atque pueros, nec tali baptismo, quo profelyti, indigere quanquam hancece necessitatem iis iam indixerat *Esaias, Cap. I. v. 6. Ezechiel, Cap. XXXVI, v. 25.* Maxima igitur admiratione afficiebatur Synedrium hierosolymitanum *Iob. I. v. 19. sq.* cum baptismus Ioannis innotesceret, qui quidem se esse prophetam, inficias ibat, baptismo tamen iustitiam, non profelytos solum, sed, quod haecenus plane incognitum, et iudaeorum moribus plane incongruum fuerat, ipsos etiam Iudaeos. Dignum hoc maiori inquisitione visum est, Delegatos igitur

*Baptismus  
Ioannis  
qualis fuerit.*





igitur mittebat, qui ex eo: quis esset, et qua potestate baptizaret? cum non sit Christus, nec Elias, nec propheta, quererent. Satis enim exploratum habebant Iudaei, sub Messiae regno denuo restaurandum esse baptismum, ideoque si Ioannes, se esse aliquem ex illis, respondisset, ius, baptismum, nouiter conuersis, euangelico foedere conferendi minime in dubium vocassent. Ioannes autem missus, ut Christum praecurreret et quantum, poenitentiae baptismus sit omnibus, necessarius, omnibus etiam in antecessum praedicaret, *Matth. Cap. III. v. 3. Luc. Cap. VII. v. 29. Ioh. Cap. III. v. 27. Actor. Cap. XIX. v. 4.* mandatum diuinum allegabat, coronidis loco adijciens: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum sterit, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus est, qui ante me fuit, cuius ego non sum dignus, ut soluam corrigiam calceamenti.*

Ritus  
baptizandi  
apud Chri-  
stianos pri-  
maenos,  
simplicissi-  
mus.

§. IV. Et hance necessitatem hominibus necessariam, Saluator noster, IESVS CHRISTVS, suo testificatus est exemplo, cum ipse a Ioanne baptismum non solum peteret et acciperet, *Matth. III. v. 13.* sed etiam Apostolis, ut idem facerent omnibus, manderet, *Matth. XXVIII. v. 19.* Abhinc omnes facti sumus, ut cum Rabbiniis loquar, profelyti iustitiae. Quod enim actus antea fuit initiationis, regenerationem nunc parit, et quod antea fuit solemnitatis, in tantam nunc abiit necessitatem, ut deficiente hocce palladio, deficeret etiam salutis aeternae fons et scaturigo. *Marc. XVI. v. 16.* Simplificissimum tamen ab initio fuisse baptismum, nullis sane aut cum paucissimis tantum solemnitatibus coniunctum, ipsissimum nos edocet Saluatoris nostri exemplum, quod quantum potuit, seruauit ecclesia in seculum usque secundum, testante *Iustino, Apolog. II.* qui, cum totum apud veteres describat baptizandi ritum, integra eiusdem his adiungo verba: *Qui cunque persuasi fuerint et crediderint, vera esse, quae a nobis traduntur et dicuntur, et viuere se ita posse, receperint, orare ieiunantes, et petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una et orantibus et ieiunantibus. Deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis*





nerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine, rerum cunctarum parentis et domini Dei, et seruatoris nostri Iesu Christi, et spiritus sancti, in aqua tum lustrantur. - - - Parentis vero omnium, et Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum solum lauaturum, istum ad lauacrum adducentes. Nomen siquidem ineloquibile Dei dicere nemo potest. Si quis autem nomen ei indere audeat, prodiga prorsus luxuriantique insaniat insania. Vocatur vero lauacrum hoc illuminatio, (Φωτισμός) quod eorum, qui haec discunt, mentes illuminentur. In nomine autem Iesu Christi, crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritus sancti, qui per sacros vates pronunciauit res Christi omnes, abluitur is qui illuminatur. - - - Nos autem postquam ita lauatus est, credentemque iam et nobis adscitum, ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt, ad communes preces et supplicationes, cum pro se ipsis, tum pro illuminato, et aliis ubique gentium, omnibus animo intento peragendas: ut digni idoneique simus, qui, veritate agnita per opera etiam ipsa, boni atque officiosi rerum administratores, et datorum nobis mandatorum custodes inueniamur, atque ut salute saluemur sempiterna. Precibus finitis, mutuis nos inuicem osculis salutamus, Deinde ei, qui fratribus praeest, offertur panis et poculum aquae et vini, quibus ille acceptis, laudem et gloriam, rerum uniuersarum, Patri per nomen Filii et Spiritus sancti offert, et eucharistiam s. gratiarum actionem pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exsequitur. Atque, ubi ille preces et gratiarum actiones absoluit, populus, qui adest, omnis, facta approbatione acclamat, dicens: Amen! Amen autem, voce hebraea, Fiat, significat. Praesidens vero, postquam gratiarum actionem perfecit, et populus uniuersus appreciatione laeta eam comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi et Ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum, et aquam, et ad absentes perferunt.





*Haereses  
in baptis-  
mum in  
surgentes,  
aliique  
errores.*

§. V. Extiterunt tamen, etiam tunc temporis, et posthaec errores circa ritum baptizandi, et sacramentum ipsum, tam in ecclesia pura, quam fucata. A quibusdam etenim creditum fuit, et eucharistiam dari posse vita defunctis, et baptismum, quod prohibitum legimus in *Canonibus Concilii Carthaginensis III. Cap. VI. Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est enim a Domino: Accipite et edite. Cadavera autem nec accipere possunt nec edere. Cauendum est etiam, ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec eucharistiam dare licitum est.* Seculo tertio, multi presbyteri, baptismum in morte Saluatoris nostri dabant, vel ut graecus textus se habet: *ἀλλὰ ἐν βαπτισμα τὸ εἰς τὸν θάνατον τὸ κυρίῳ δεδομένον.* depositione tamen multati in *Can. LXXIX. Dist. IV. de Consecrat.* Pro ludibrio etiam habitum fuisse sacrum illud lauacrum, SOZOMINVS *Lib II. Hist. Cap. XVI.* refert. Ambrosius enim, postea in episcopum Mediolanensem electus, puer adhuc, cum aliis sui similibus, forsitan ethnicis, in littore maris ludebat, et ludens alium puerum baptizabat. Quaesitum hinc: an baptismus ille pro vero subsistere possit? et non solum unanimiter a patribus affirmatum hoc, sed etiam longe post defensum, *add. Can. XXXI. Dist. IV. de Consecrat.* Nec minus etiam ab instituto aberrarunt, ruinasque baptismum minari sunt haereses, post discessum Christi statim exortae, quarum una, CAIANORVM nempe, caput in Africa extulit, et de abrogando in totum baptismo, omnem impendit operam, quos secuta est QUINTILLA quaedam, baptismum etiam inuertere audens, totamque Carthaginem, in qua viuebat, inficiens. Hoc TERTVLLIANO occasionem dedit scribendi *de baptismo* tractatum, in quo grauiter in eam inuehitur, bestiamque nominat, hiscemodi verbis: *Petulantia autem mulieris, quae usurpauit docere, utrique non etiam ius tingendi sibi pariet, nisi si qua noua bestia euenerit, similis pristinae, ut, quemadmodum baptismum illa aufererat, ita aliqua per se eum conferat.* Conincidit forsitan Quintilla haec etiam in errores PEPVZIANO-

RVM





RVM qui, teste EPIPHANIO *Haeres XLIX.* Christum sub specie mulieris Pepuzae olim apparuisse, docebant, et ex hac ratione mulieribus etiam, ius dandi baptismum tribuebant, quos tamen postea damnatos esse, legimus in *Concilio Carthaginensi IV.* Seculo etiam quarto a permultis, praesertim PELAGIANIS creditum, matre gravida baptizata, id etiam baptizatum iri, quod in eius utero sit, ex iudaeorum forsitan commento, qui, baptismum matris sufficere etiam foetui, statuebant, quo minus infans, si in lucem ederetur, baptizaretur, sed tantum, confessionem fidei suae in adolescentia edere, teneretur. R. M. MAIMONIDES in *Halach Issure Biuir. Cap. XIII.* His tamen obuiam iuit AVGVSTINVS *contra Iulianum Pelagianum Lib. VI. Cap. V.*

§. VI. Non mens mihi est, varios apud primaeuos, usitatos *De baptis-* ritus, itemque errores baptismales ex antiquitate repetere, quoad *mo super* prius L. B. ad IOACHIMVVM HILDEBRANDVM remittens, qui *mortuus,* in peculiari tractatu, sub inscriptione: *Rituale baptismi veteris,* *haeresis.* *Helmstadii 1699. in 4to.* edito, totam fere materiam, cum haeresibus huic proximis, elegantissime conscripsit. Vnicum tantummodo errorem apostolis coaeuum, disquirere institui, interim ea, quae haecenus in medium protuli, ad euidentiolem sequentium intelligentiam facere posse, mihi persuadens. Hic famosissimus ille est BAPTISMVS SVPER MORTVIS a PAVLO *1. ad Corinth. Epist. Cap. XV. v. 29.* citatus et notatus, prout sequentia textus verba se habent:

Ἐπει, τὶ τοίησεν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλος νεκροὶ ἐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.

*Alioquin quid facient, qui baptizantur super mortuis si mortui omnino non resurgunt? Quid inquam, baptizantur super mortuis.*

Criticos non solum semper mouit nodi huius, gordii sane, enodatio, sed maximos etiam Theologos. Non ego quidem sum Alexander ille, qui nodum huncce soluere audeat, in lucem tamen proferam





feram, hac de re quaedam, quae L. B. siquidem sibi haecenus non plane incognita, lectione tamen non indigna iudicabit. Narrationem equidem meam plenam lacunarum fore, non diffiteor. At enim vero, cum nulla pictura tam absoluta et omnibus numeris perfecta sit, quin pictor alius, aliquid in illa corrigere praesumat; Sic etiam secundum pronunciatum Imperatoris nostri **VSTINIANI** in *Constitutione de Conceptione Digestorum*, §. 14. omnium rerum, habere memoriam, et penitus in nullo peccare, diuinitatis magis, quam mortalitatis est. Nixus igitur auctoritate brocardici consueti, quod ille, qui minus subtiliter factum emendat, laudabilior sit eo, qui prius inuenit, lectorem ad tutum illud Horatianum remitto, ut, si quid nouerit hisce rectius, candidus impertiatur si non his utatur mecum **HORAT. Lib. I. Ep. VI.**

*Variae eruditorum, de baptismo super mortuis sententiae*  
Sententia Cocceji

§. VII. Varia sunt lectionum, imo interpretationum, genera quibus textus torquetur, res tamen minime absoluitur, adeo, ut in diuersarum sententiarum recensione, ut cum **EVNAPIO** in *vita Aedes*: loquar, ἀχθος καμήλων πολλῶν, *multorum camelorum onus* perficerem. Ad vetus testamentum non pauci confugiunt, ibidem inuenisse, quod quaerunt, arbitantes. Abiit in eorum sententiam, **COCCEIVS**, Theologus Lugdunensis, in *Commentario suo in Epist. ad Hebr. Cap. IX. v. 13. 14.* Non putandum est, inquit, nihil agere eos, qui secundum *Legem Moysi* βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *h. e. lavantur super mortuos, ut retineam Phrasin Apostoli, quae est I. Cor. XV. v. 29.* Syrachides dicit *Cap. XXXIV. v. 25.* ὁ βαπτίζομενος ἀπὸ νεκρῶν. Non inquam *Dus* hunc ritum instituit frustra, sed ut aliquid doceret, siue potius, ut aliquid, in memoriam reuocaret, quam quod in mysterio fidei continebatur, siue id iam verbis explicatum esset, siue deinceps explicandum esset in posterum. Ergo ex analogia mysterii de significatione statuendum est. Pollutio, qua lex grauat eum, qui cadaver hominis tetigit, quid potest significare, nisi communionem mortis? in uno homine moritur natura humana, et in quouis membro corpus. Mors unius est particula mortis totius generis. Quod moritur, quodque mortuum



mortuum est, id non aptum est ad regnum Dei. Id enim est regnum  
 vitae. Mors autem corporis, mortis spiritualis argumentum est. Qui  
 agit in medio sanctorum, tanquam vivus, quum sit mortuus in peccatis,  
 Deum violat. Neque minus ille, qui spem non habet, in Deo viuo, et  
 viuificante mortuos, siue qua spe nemo viuit Deo. Atqui inhabitatio  
 Dei in medio populi moribundi testatur, eum, qui Deus ipsorum vocari  
 voluit, ipsi siue propter ipsum victuros. Quod morte polluti redeunt  
 ad sanctuarium purificati, quid aliud significare potest, quam reditum  
 ex morte in vitam, et quidem illius corporis, quod lauacrum illius  
 βαπτισματος symbolum susceperit. Quare, si quis id symbolum asper-  
 natur, tabernaculum Dei polluit, non dans Deo gloriam resurrectionis  
 mortuorum, quasi vel abnegaret Dei habitationem in hominibus,  
 vel eam statueret esse in hac tantum vita, quae est mortalis. Add.  
 SCHMIDT in Fasc. Dissp. Theolog. Philolog. Disp. VI. ad h. l. Membr.  
 III §. 37. huic forte opinioni addictus. De hac autem quid sen-  
 tiendum, et annon nimis fragilis sit et contorta, lectoris iudicio re-  
 linquo.

§. VIII. Alii mysticam sane, et metaphoricam interpreta-  
 tionem eliciunt, imprimis IOANN. FRIEDR. HOMBERG A <sup>Sententia</sup>  
 VACH, in *Parerg. sacr. ad 1. Cor. XV. v. 29.* putans, particulam <sup>Homburgi</sup>  
 ὑπερ super per ἵνα, ut, explicari posse, ut adeo sensus verborum <sup>a Vach</sup>  
 „fit: quid facientii, qui in mortuorum baptismate immerguntur,  
 „i. e. ut in martyrio moriantur si mortui omnino non resurgunt.  
 Edoctus forsan est ab CLAVDIO GVILLAVDO Doctore Parisi- <sup>Claudii</sup>  
 ensi qui ad h. l. idem sentit, et de martyriis, vel baptismo sanguinis <sup>Guillaudi</sup>  
 exponendum esse putat, verbis: *Baptizantur enim pro mortuis mar-*  
*tyres, qui patiuntur et affliguntur pro fide et articulo resurrectionis*  
*mortuorum.* Utrosque autem seductos procul dubio fuisse ab eo;  
 quod AVGVSTINVS in *Libro de unico baptismo contra Donatistas*  
*Lib. IV. Cap. XXII.* de latronis cum Christo crucifixi, baptismo  
 sanguinis, tradit, admodum probabile videtur. <sup>Godofredi</sup>  
 OLEARIVS in *Obseru. Philolog. de baptismo pro mortuis* §. 21. <sup>Olearii</sup>  
 per





per baptismum, sacramentum nostrae initiationis, per τὸς νεκρῶς  
 autem Iesum Christum, pro nobis mortuum, intelligit βαπτίζεσθαι  
 ὑπὲρ τῶν νεκρῶν autem idem esse, ac baptizari propter Iesum Chri-  
 stum, ut nomen eius et professionem suscipiamus, ac beneficiorum  
 eius reddamur participes. HENRICVS HAMMONDVS in Pa-  
 raphrasi ad 1. Cor. XV. v. 29. sequentem Pauli verbis addit para-  
 phrasin: *Ab iis, qui inter vos negant resurrectionem mortuorum, hoc  
 unum quaesiuero: quare ergo in baptismo professi sint, haec credere,  
 cum sit certum, resurrectionem mortuorum (quae breuitatis causa ex-  
 primitur hic voce mortui.) esse ex potissimis fidei articulis, in qua  
 baptizati fuerunt. Quare, si homines in baptismo professi sunt hoc  
 fidei christianae caput a se credi, si non credebant? Baptizari instar  
 Christiani, nec credere resurrectionem, est res absurda, et dissimulatio,  
 quam nunquam nec Deus nec homines probabunt.* Sed vim maximam  
 infert verbis, a mente Pauli nimium alienis, et neminem sane mo-  
 uer, nisi obscuri amantissimum. Secutus tamen est eum, licet ex-  
 presse non in partem vocauerit, WEINRICHIUS in Comment. ad  
 Epist. Pauli ad Corinth. b. l. qui pro verissima omnium sententia,  
 et rituum in ecclesia tunc temporis usitatissima, surrogari posse per-  
 suadet: *baptizandos, et ingremium ecclesiae cooptandos, publicam pri-  
 mam omnium edere debuisse fidei suae confessionem et inter alias huius  
 imprimis articuli, qui mortuorum resurrectionem concernit, et in quo  
 cardo salutis nostrae vertitur.* Miseret me sane textus, tantis cru-  
 ciatibus affecti. Nam utrosque inductos forsan fuisse ab HAR-  
 MENOPVLO, idem suadente, auctor nobis est OLEARIVS l. c.

§. IX. Plurimi seruant sensum particulae ὑπὲρ super; erro-  
 nea tamen ad factum applicatione. Primus inter hos, ob nominis  
 famam, in scenam prodit HARDVINVS, qui in triplici quaestione  
 de baptismo, eo rem expeditam putat, quod particula ὑπὲρ non fi-  
 nem tantum, sed etiam interdum antecedentem causam denoret, et  
 factum, quod, lue quadam epidemica, tempore Apostoli, Corinthi  
 exorta, multos fideles inopina morte, quam non obscure ille indi-  
 gitasset,

Ham-  
 mondi

Weinrichii

Harduini





gitasset, adeo fuissent perterriti, ut periculo instante, ne promisso diuino periclitarentur, baptismum petierint. Baptizare igitur super mortuis, idem esse, ac propter mortuos, siue occasione mortuorum. Erroneam tamen esse hancce sententiam iamdudum detexit OLEARIVS, *l. c. §. 9. sqq.* Quonam etenim fidei historicae adminiculo veritas pestiferi morbi efficienda est, nisi in mente auctoris, fabularum neparci, neutiquam vero Pauli. Mutauit tamen etiam sententiam, autor genio suo indulgentissimus, aduersis tamen auspiciis, et non maiore, quam antea fide asserens: verbo: *baptizare* a Paulo promiscue uti, non pro immersione et asperione naturali solum, sed mystica etiam, in varias scilicet calamitates. Sub mortuorum autem appellatione, venire infideles, qui desiderio recipiendi e paganismo in christianam societatem, flagrant. *Idem in Epist. de baptismo, subiuncta Opp. scl.* Quam ridicula autem sit opinio haec, quis non videt, quia auctor citatus, in priori paraphrasi mortuos pro fidelibus venditat, in posteriore autem statim infideles superstruit.

§. X. Rem acu tetigisse, rursus alii putant, quasi Paulus *Whistonii* hic indigaret, morem primitiuae ecclesiae, ubi Catechumeni, baptizati fuerint ad sepulchra martyrum et pie defunctorum, eum, in finem, ut ibidem etiam iuxta tenorem symboli apostolici: eos, scilicet credere carnis resurrectionem, attestarentur. Cum enim, pergunt, scopus religionis nostrae consistit in firmo et indubitato, resurrectionis monumento, nil huic magis respondere posse, aiunt, quam, si ritus ille regenerationis nostrae saluberrimus in, spem futurae resurrectionis, ibidem etiam administraretur, ubi, reuocatio dormientium ad vitam sempiternam aliquando sit ex, spectanda. Auctor opinionis est GVILIELMVS WHISTON de *primit. infant baptismo* citatus etiam a PERTSCHIO in *der Kirchen- und Reher-Historie, Sect. I. Cap. XIV. §. 14.* sed nescio, quonam probandi vinculo. De consuetudine baptizandi apud, vel ut textus habere vult, super martyrum sepulchra, in ecclesia seculi primi, tota filet





filet antiquitas, et licet subsequenter temporibus, iis in locis, ubi diem obierant supremum, multi forsân fuerint baptizati, sicut ibidem etiam sese congregarunt Christiani, hic tamen mos multo recentior est tempore apostolico, ubi locus coitionibus Christianorum priuatiue destinatus, nusquam inuenitur, prout doctissime defendit BOEHMER in *Dissert. ad Plin. et Tert. III.* Martyrum autem memoriarum initia, subsequenter temporibus, et quidem sub imperio ANTONINI PII sunt quaerenda, quorum tamen non antiquius, quam Polycarpi exemplum, testante EVSEBIO *Hist. eccles. Lib. IV. Cap. XV.* nobis traditum est, qui martyrium suum anno Christi CXLVIII. subiit GALIENVS *Imperator* demum primus fuit, qui medio seculi tertii ius erigendi coemeteria, publica auctoritate Christianis permisit, confirmantibus id CONSTANTINO et LICINIO *Impp.* sub initium seculi quarti. LACTANTIUS *de morte persecut. Cap. XLVIII. n. 9.* Hortos antehac suos, aliaque loca occulta sibi deligebant Christiani, ad sepelienda martyrum aliorumque pie defunctorum corpora, quia minime tolerabant pompas atque tumulos eorum gentiles, dolente TERTULLIANO *ad Scapulam, Cap. III.* Hinc absolum plane fuisset, baptismum super eorum sepulchris facere, quibus peractis prodita etiam fuerint dormitoria, ab ethnicis damnata. Accedit, quod viuentibus apostolis non ex vase, sed in fluminibus, staguis aut fontibus, totius corporis immersione peractus fuerit baptismus, qualis autem super coemeteriis vel tumulis expediri minime poterat. *Ἀνορθῶν αἰφ' ἡμῶν ἐνθαί ὕδατος, eo adducuntur a nobis (baptizandi) ubi aqua est, ex loco Iustini, supra §. IV. allegati audiuius.* Coemeteria autem antiquissimis temporibus non ad flumina, sed vias publicas imprimis fuisse erecta in Palaestina praefertim, ex dicto *Matth. VIII. v. 28.* constat. De romanis vero et graecis idem testatur KIRCHMANN: *de Funeribus romanorum, Lib. II. Cap. XXII.*

§. XI.





§. XI. Vtrasque tamen cantiones, mutata licet chorda, cecinit  
 IOANNES ALBERTVS BENGELIVS in *Gnomone Noui Testamenti*  
 ad I. Cor. XV. v. 29. pag. 684. qui sensum phraeos: βαπτίζεσθαι  
 ὑπὲρ τῶν νεκρῶν sequentem in modum desinit: *Baptizantur enim*  
*super mortuis ii, qui baptismum et Christianismum suscipiunt eo,*  
*tempore, quum mortem ante oculos positam habent, iamiamque vel ob,*  
*decrepitam aetatem, vel ob morbum aut luem, vel per martyrium ad,*  
*mortuos accumulandi omni fere fructu huius vitae carentes, deuenien-*  
*tes ad mortem, et mortuis quasi imminentes.* Retinet quidem pro-  
 priam significationem particulae ὑπὲρ, propinquitatem scilicet, su-  
 per aliqua re imminetem, denotantem, erronea tamen applicatio-  
 ne, quod ex sequentibus auctoris verbis satis superque apparet: „  
*Sic baptizantur super mortuis ii, qui mox post baptismum ad mor-*  
*tuos aggregabuntur.* Sensus igitur phraeos: *super mortuis idem*  
*sit, ac super sepulchris,* prouocans inde ad *Lucam Cap. XXIV. v. 5.*  
 ubi pro sepulchris mortuos substitutos legimus. Sed quam dubia  
 etiam haec sit opinio, sequentia auctoris verba me indubium re-  
 linquunt: *Neque incredibile est, saepe baptismum apud funera ad-*  
*ministratum fuisse.* Cuius autem auctoritate hoc dictum, silentio  
 praeteriit, sed diffusum relinquit lectorem. Aliud enim est super  
 funera baptismum expedire, aliud vero super sepulchra. Posterius  
 §pho antecedenti iam explosum est, prius autem §sequens dabit.

§. XII. Proximus omnium, quarum summam hactenus dixi, *Laurentii*  
 opinionum, rei accedit GEORG. MICH. LAVRENTIVS in *Exe-*  
*gesi succincta primae Pauli ad Corinthios epistolae ad Cap. XV. v. 29.*  
 cui suffragandi ratio mihi nulla deesset, nisi alia iam visa, mihi sit  
 expositior. Quaerit enim originem baptismi super mortuis in iis-  
 dem temporibus, ubi crudelissimae persecutiones crucem mina-  
 bantur Christianis et putat, tali quadam exorta multos eorum car-  
 ceribus fuisse inclusos, in his autem complures fato extinctos,  
 maior tamen pars, et non raro millenarium numerum excedens,  
 C tru-





„trucidata. Christianos igitur, cadaueribus cinctos, nihil certius,  
 „quam vitae periculum ante oculos positum, habuisse, nec minus  
 „persuasos sibi fuisse de necessitate baptismi, quem nondum forsitan  
 „acceperant, hinc praecipitasse tempus lustrandi et acceperisse de-  
 „mum baptismum super corpora beate defunctorum, quibus im-  
 „pletas fuerint tenebrae miserorum custodiae, satis sibi habentes  
 „si foederis vinculum in illo temporis puncto inirent, quo Christo  
 „se associari, et omnigena gaudiorum coelestium perfectione sa-  
 „tari, in expectatione essent. Brauium acciperet auctor, senten-  
 „tiam, omnium superstruens appositissimam, et cui ipsa etiam suf-  
 „fragatur antiquitas, nisi persecutiones, in quibus tota consistit argu-  
 „mentandi ratio, in recentiora, quam apostolorum, inciderent tem-  
 „pora. Horum etenim temporibus persequebantur quidem Chri-  
 „stianos *Aetor. III. v. 4. Cap. V. v. 18. Cap. VI. v. 8. sq.* non admodum  
 tamen truculenter, ut numerus semel percussorum millenarium  
 etiam excederet, prout sequentibus temporibus factum esse legitur.  
 Primus in nomen christianum hostilis praedicatur, Imperator  
 CLAVDIVS, qui teste SVETONIO in *Claudio Cap. XXV. Iudaeos*  
*impulsoe Chresto assidue opinione sua tumultuantes, Roma expulit,* de  
 quo etiam loquuntur *Acta Apostolorum Cap. XXVIII. v. 2* Sed  
 praeter nomen *Chresti* Christi adsimile, nil video, quod de perfec-  
 tione in Christianos argumentari liceat, cum saluator noster Naza-  
 reus potius, nomen ipsius proprium, quam Christus, quod muneris  
 vocabulum est, fuerit appellatus, huic dira Christianorum infecta-  
 tio minime efficienda. *add. Hilscher in Dissert. de Chresto Suetonii*  
 Nero Imperatur post Claudium primus fuit, qui crudelissime in  
 Christianos saeuit. Si vero TERTVLLIANO fides habenda, ante-  
 hac Tiberius Imperator, Augusti Successor, Saluatorem nostrum  
 pro Deo habendum esse, a senatu romano petiit. ARNOLD in *der*  
*Sirchen- und Reher- Historie Lib. I. C. I. §. II.* Et quid amplius di-  
 cendum. Ipsissima Pauli verba, Schisma satis superque indicant,  
 omnemque scrupulum euellunt, baptismum, de quo loquendi mihi  
 ratio est, mortuis potius frugi fuisse in mente Schismatici, eorum,  
 quam





quam viuus, ideoque sensibus ne quidem percipere possum, qua ratione, autores iamiam citati, omnia, pro viuus tantum definire velint.

§. XIII. In Labyrinthum anfractuum incidere sane, si *Plures auctores de hacce materia recensiti*  
 omnes, praecipuorum virorum de his sententias, plerumque variantes, allegarem, refutareque. Sat curarum a me impensum fuisse, persuasum mihi habeo, in conuincendo lectorem, praesupposito, quantum differant inter se, in materia hacce scrupulosa, viri sane doctissimi. Plura petentem remitto ad specialiora opera imprimis IOACHIMI HILDEBRANDI *veteris ecclesiae, Martyrum imprimis et S. S. Patrum artem bene moriendi*, qui undecim, interpretum dicti paulini, explicationes collegit, sane plerumque conditas, monstrans inde, quam ardua semper visa fuerit nodi huius extricatio. Legi etiam merentur Commentarii et Schediasmata, partim de hacce materia ab instituto, partim etiam incidenter scripta, imprimis EPISCOPIVS in *Lect. Sacr. in 1. Iob. I. SALMERON. Tom. XIV. Disp. XXIV. B. LVTHERVS ad h. l. IVSTINIANVS Iesuita in I. ad Cor. XV. CALIXTVS de resurrectione carnis, Cap. VI. §. 14. FRANZIVS de interpretatione sacrarum litterarum maxime legitima, Oraculo LXXX. p. 576. TVNGERLARIVS P. III. Prompt. Euang. p. 1022. ALEXANDER MORVS in not. ad h. l. p. 32. BELLARMINVS Lib. I de Purgator. Cap. VI. CHAMIER Tom. III. Paustrat. L. XXVI. C. XIX. n. 2. IOANNES CALVINVS in h. l. ESTIVS in Comment. ad I. Cor. XV. v. 29. AEGIDIVS HVNNIVS in Comment. in I. Cor. XV. MVL- LERSVS in Dissert. Theolog. Hist. prior. de baptismo super mortuis. CALOVIVS in Bibl. illustrat. nou. testament. Tom. II. in h. l. p. 401. SEBASTIAN CASTELLIO in annot. ad h. l. FRANC. IVNIVS in notis aduerstonem Paraphras. Syriacae Tremellianam I. Cor. XV. v. 29. SCHMIDIVS in Dissertat. de baptismo super mortuis. HORN- BECK Miscell. sacr. LI. c. 17. n. 2. sqq. DEYLING Obseru. sacr. Tom. I. Obs. 44. HAYMANN in Exercitat. Exeget. de baptismo ὁπὲρ τῶν νεκρῶν. THOMAS ITTIG de Haeres. Aevi Apostolici, Sect.*





*Sect. I. Cap. V. ERASMVVS SCHMIDIVS in Comment. biblico ad b. l. DANIEL HEINSIVS Exerc. S. ad l. c. p. 407. ANDREAS OSIANDER in not. ad b. l. p. 70. IOANNES PISCATOR in Schol. ad b. l. p. 552. sqq. CHEMNITIVS HESHVSIVS, MENZERVVS, LYSERVVS, GLASSIVS aliique innumeri sane, quorum copia, ne recensendi quidem, nedum legendi, hactenus mihi data est.*

*Gemina de  
baptismo  
super mor-  
tuis expli-  
catio*

§. XIV. Sed, cur tam anxie exposcimus veritatem, quae tamen in aprico est, et quare recedimus a sensu verborum proprio, cum nulla urgens adsit necessitas? Particula enim *ὅτι* satis superque indicat, rem super aliqua imminentem, et tamen excruciatum textum, semet ipsum sane explicans, si deessent etiam alia adminicula fide digna. An refragetur fortassis fidei christianae articulis, propositio: VIVVM QVONDAM HOMINEM SVPER VEL PRO MORTVO FVISSE BAPTIZATVM? Vix schisma inde metuendum esse, opinor. Euanuerunt etenim Sectae, huic errori addictae et nil, nisi earum memoriam, curiosamque assertorum indagacionem nobis reliquerunt. Qui huiusmodi scrutinium interdicto quodam notari velint, caenosos illi bibant riuulos, quum illis displiceant fontes, unda purissimi. Patres ecclesiae orthodoxae vitio tulerunt multis presbyteris, quod mortuos ipsos etiam baptizarent, (§. V.) quale quid de Montanistis etiam factum esse, testatur PHILASTRIVS *Haeres 48*. Quid obstat, quo minus pro vel super mortuo viuum, quemdam etiam baptizari potuisse, credamus. Pona- mus igitur, fuisse apud primaeuos quosdam, qui pro defunctis viuos baptizarunt et, eheu! multi adstipulantur huic opinioni, cui suffragatur etiam antiquitas. HVGO GROTIVS in *annot. ad Consultat. Cassandri* IVSTELLVS in *not. ad Cod. Can. Eccl. uniuersae LVII*. SCALIGER in *Epistolis duabus ad Thompsonum*. Iunxit se his quidem frater polonus SAMVEL PRZiPKOVIUS in *cogit sacr. ad Euang. Matthaei et Epist. I. Pauli ad Corinth.* falsissimo tamen praepudicio, quasi mos ille fuerit probus, et in ecclesia puriori receptus. *Poterat enim inquit, ceremonia ista esse in ecclesia absque ullo errore,*

*hoc*





hoc est, absque illa opinione, quod mortuis postfata illorum prosit  
 aliena pietas. Baptismus enim aqua est, externum atque ceremoniale  
 signum, quod aliquis ad populum Christi adiunctus sit, quod ipsum per  
 se, et nude, absque ea, cuius externum est signum, hoc est vera et reali  
 ad Christi populum, accessione, quae fit per regenerationem, baptizato  
 non prodest. Natura tamen sua etiam ita consideratum illud signum,  
 aedificationi ecclesiae prodest, cuius oculis palam fit, populum Christi  
 incremento suo augeri, et exemplo eorum, qui per hoc externum  
 signum ad ecclesiam accessisse perhibebantur, poterant multi alii ad  
 idem faciendum inuitari. Dispiciendum igitur nunc erit, quomodo  
 instructus fuerit huiusmodi baptismus, et quibusnam haeresium  
 affectis inhæserit talis doctrina, temporibus Apostoli coeua.

§. XV. Haec, quo facilius enucleemus, ad primam Pauli ad *Textus ci-*  
 Corinthios epistolam quaedam praefari, et eius capitis XV. *tati recen-*  
 textum paulo penitus inspicere, necessum habemus. Corinthum *sio et ex-*  
 venit Paulus mox post Christum natum L. degitque ibidem annum *planatio*  
 totum et semissem. *Actor. XVIII. v. 1. sqq.* Egit posthaec trien- *quaedam.*  
 nium Ephesi. *Actor. XX. v. 31.* per annos LIII. et LIV. Con-  
 sumsit trium mensium spatium in Graecia. *Actor. XX. v. 2.* et de-  
 inde circa Paschatos Festum ex Macedonia proficiscitur. *Actor.*  
*XX. v. 6.* et a pentecostali tempore Philippis per annum LV. et  
 LVI. usque ad LVII. captius tenetur, testante clarissimo CAROLO  
 GOTTLÖB HOFMANNO *in not. ad Pritii Introduct. in lect. noui*  
*testam. ad Cap. XVIII. p. 429.* Comperit ibidem Corinthios suos  
 a fide iterum descivisse, et erroribus maximis adyta aperuisse schif-  
 maticorum variis ductos haeresibus, quibus, ut frena iniiceret,  
 epistolam ad eos misit, cum peregrinandi facultas ipsi deesset.  
 Carpit potissimum, in Cap. XV. dubium, quod de resurrectione,  
 carnis imberant ipsi, et monet eos, ne de indubitata Saluatoris,  
 nostri resurrectione dubitarent, hinc etiam de scopo actionum,  
 humanarum nostrarum periclitarentur. Praestruit veritatem, quam,  
 praedicaucrat iis de Christo, eum scilicet fuisse mortuum ac se-  
 pultum,





„pultum, tertia de hinc die iterum resurrexisset a mortuis, visum-  
 „que a Cepha et Apostolis *a versu 1-5.* Pergit a versu sexto, eum  
 „posthaec etiam visum fuisse a quingentis fratribus, denique a Paulo  
 „ipso, usque ad versum octauum. Praedicat deinde plura de offi-  
 „cio apostolico sibi commisso, et ratione praedicandi, versu demum  
 „duodecimo concludens: *Si autem de Christo praedicatur, quod*  
 „*resurrexerit a mortuis, resurrectionem hominum a mortuis nullo et-*  
 „*iam modo in dubium vocari posse.* Deficiente autem de resurre-  
 „ctione hominum fide, inanem esse etiam de resurrectione Christi  
 „fiduciam. Addit plura pro defensione argumenti testimonia, a  
 „v 18- -28. et versu denique 29 a Corinthiis postulat: *Quid facient*  
 „*ii, qui baptizantur super mortuis, cum omnino mortui non resur-*  
 „*gant,* annectens propositionem absurdi: si mortui omnino non  
 „resurgunt, Christum etiam non resurrexisse, emergentis, ad-  
 „dens denique exemplum de se ipso: quare cum bestiis pugnauc-  
 „rit Ephesi, nisi post fata, reliqua ei fuisset spes resurrectionis  
 „et consequendae salutis aeternae. Nullum sane superest dubium,  
 quin asseramus, fuisse iam apostoli aetate seductores quosdam, qui  
 baptismum super homines defunctos frequentari posse, putarunt,  
 qui et ipsi, licet non auctores, sententiae tamen, de resurrectione  
 mortuorum in dubium vocandae, admodum fuerint propinqui. Ho-  
 rum igitur ritus, perquam superstitiosos et instituto baptismali ad-  
 modum contrariantes, recenset Paulus, non quod eosdem probet  
 (diserte enim non subiecit censuram) sed, ut demonstraret verita-  
 tem de resurrectione contra homunciones istos, argumento quo-  
 dam domestico quod κατ' ἀνθρώπων dicitur, usus, qualem fuisse,  
 methodum Pauli usitatissimam *Actorum caput. XVII.* testatur, ubi  
 Athenienses, cum ignorarent Deum verum, unum essentia et tri-  
 num personis, et tamen aram τῷ ἀγνώστῳ Θεῷ exstructam haberent,  
 carpit, et hac occasione rationem sumit, eos ad veram cognitionem  
 ducendi. WALCH, in *Compend. Antiquit. eccles. Lib. II. Cap. VI.*  
 „p. 280. Sensus hinc oritur phraseos: *quem in finem quidam vestrum*  
 „*super defunctorum corporibus baptizantur, confitentes hinc saluber-*  
 „*rimum*





rimum salutis aeternae fontem, cum de resurrectionis articulo dubia,,  
admodum vobis sit fiducia, et quare omnes omnia subimus vitae peri-,,  
cula, nisi spes in aeternitate brauium accipiendi remaneret. Sequens,,  
autem v.33. adiecta Pauli admonitio: nolite seduci, colloquia enim  
praua, corrumpunt bonos mores de sectae cuiusdam, de resurrectione  
et baptismo idem sentiente, exilentia, me indubium relinquit.

§. XVI. Antiquitates ecclesiae primitiuae, si consulimus, *Cerintbus,*  
offert se quaedam haeresium species CERINTHIANORVM sci- *haereticus,*  
licet, propter peruersissima admodum eorum dogmata, puriori do- *qualis fue-*  
ctrinae refragantia, omnino damnata, et sectae, ab apostolo non *rit*  
adeo obscurae ostensae, admodum contigua. Princeps huius erat  
CERINTHVS, secundum EPIPHANIVM *Haeres. XXVIII.* etiam  
MERINTHVS, ignominiae causa, propter ambiguitatem vocis,  
graece laqueum denotantis, ita appellatus. Homo erat Iudaeus se-  
cundum EPIPHANIVM allegatum, et Apostolis coaeuus. Ioannes  
enim Euangelista, cuius cum eodem fuit contentio, notante BA-  
RONIO *ad annum Christi XLVII. n. 4.* post obitum beatae virgi-  
nis Mariae, anno eodem contingentem, in Asiam proconsularem se  
recepit, tradente nobis EVSEBIO *Hist. Eccles. Lib. III. Cap. I.*  
plurimumque Ephesi degit. Paulus vero epistolam ad Coriuthios  
misit anno post Christum natum LV. et LVI. testante HOFMAN-  
NO, *l. c. p. 249.* Hic Cerinthus, in Scholis Aegyptiorum erat  
eruditus. THEODORETVS *Haeret. Fab. Lib. III. Cap. III.* quo-  
rum, imo et Iudaismi praeiudicia ac dogmata, praeceptis suis undi-  
cunque immiscebat, statuens imprimis, Christo, tanquam Dei le-  
gato et nuncio obtemperandum quidem esse, Mosis tamen etiam  
legibus et praeceptis simul morem gerendum, iis, qui Mosis et  
Christi disciplinam reciperent, exquisitissimas in eiusdem regno,  
quod per mille annos in his terris duraturum sit, delicias spondens.  
Haereses suas imprimis spargebat in Asia proconsulari, quare, ut  
maiora earum incrementa impedirentur, S. Ioannes eo diuinitus  
missus fertur ab EPIPHANIO, *Haeres. LI.* quem in finem etiam  
evan-





euangelium suum exaravit, uti contra LAMPIVM mascule defendit OEDERVS in scripto *de Euangelio Ioannis*. Hinc Ephesi etiam contigisse dicitur ab IRENAEO *Lib. III. Cap. III.* Ioannem, videntem Cerinthum in balneum ingredi, repente ex eo discessisse, metuentem inde, ne balneum in hunc diuinæ veritatis aduersarium corruat. *add. EVSEBIVS Hist. Eccles. Lib. III. Cap. XXVIII.*

*Cerinthiani pro mortuis, viuos vicarios baptizant.*

§. XVII. Antiquitates, si ulterius consulimus, Catechumeno Cerinthiano, ante baptismum moriente, viuum quendam sponso-rem, pro defuncto fuisse baptizatum, legimus apud EPIPHANIVM, *Haeres. XXVIII.* Ἐν οἷς καὶ τὶ παραδόσεων πρᾶγμα ἦλθεν εἰς ἡμᾶς ὡς τινῶν, μὲν παρ' αὐτοῖς προφθάνοντων, τὲ λευτῆσαι ἀνευ βαπτίσματος, ἀλλὰ δὲ αὐτῶν εἰς ὄνομα ἐκεῖνων βαπτίζεσθαι, ὑπὲρ τὸ μὴ ἐν ἀναστάσει ἀναστάντας, αὐτὸς δικὴν δεῖναι τι μαρτίας βαπτίσμα μὴ εἰληφῶτας. *In quibus etiam aliquid truditio- nis ad nos peruenit, quod si quidam quidem apud ipsos (Cerinthianos) occupent mori sine bap- tismate, alii pro ipsis nomine eorum baptizentur, ne in resurrectione resurgentes poenas deit propterea, quod bap- tisma non acceperint* Con- sentit mecum, ABRAHAM CALOVIVS in *Dissertat. de bap- tismo super mortuis, Cap. III. § 3.* hincemodi verbis: *statuimus itaque, salua tamen pace et auctoritate doctissimorum virorum, Paulum in praesenti loco alluisse ad morem illorum, quo aliqui pro aliis, aut vice et loco aliorum baptizabantur, qui sine bap- tismo ex hac vita discesserant, et solertissimus ille antiquitatum sacrarum indagator, IOANN. GEORG. WALCHIVS in controuersis et quaestionibus insignioribus anti- quitatum ecclesiasticarum Schurzfleischianis, Comp. Antiquit. eccles. subj. p. 542.* qui huncce baptizandi ritum sequentibus depinxit ver- bis: *Letus siue grabatus erat, in quo mortuus iacebat. Sub eo viuus quidam ponebatur. Hic vero, an baptizari vellet sub persona mortui interrogabatur. Si respondebat: velle se baptizari? bap- tismus ille symbolicus contra institutum diuinum conferebatur.* In hoc tamen errasse auctorem, quod salua eius existimatione dictum sit puto, cum viuum vicarium, sub mortuum, non vero supra eum, collocet verbis





verbis ipsissimis Pauli refragantibus. Seductus tamen forsitan est, a CHRYSTOSTOMO, qui in *Homilia XL. in I. ad Corinth. Epist.* in Doctrina Marcionitarum idem carpit et, quem ille forsitan excrispfit. Verba eius ita se habent: *Marcionitae, postquam catechumenus quispiam apud eos excesserat, sub lecto mortui abscondo aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum et adloquuntur et rogant: velintne accipere baptismum? Deinde, nihil illo respondente, qui est abscondus inferne, pro illo dicit, se velle baptizari, et sic eum baptizant, pro eo, qui excessit, perinde ac si in scena luderent. Tantum valuit Diabolus in ignavorum animis. Deinde, cum accusantur, adducunt hoc verbum, dicentes. Apostolum 1. Cor. XV. dixisse: Qui baptizantur pro mortuis: Add. IRENAEVS Lib. III. cap. 3. EVSEBIVS Hist. Eccles. Lib. III.*

§. XVIII. Causa, cui adscribendus error ille, non satis liquet. *Origo erroris ex-*  
 An occasionem dederit baptismus Clinicorum, non adeo obscure *roris ex-*  
 coniecturis euincere, conati sunt primores, indubitatum inde exhi- *planatur.*  
 bentes testimonium, quam ardua solutu semper fuerit quaestio,  
 quum memoria etiam caderent ii, qui paulo post Cerinthianos et-  
 iam vixere. Perhibet enim nobis EPIPHANIVS l. c. Καλῶς δὲ ἄλ- *Baptismus*  
 λοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες Φασιν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾶν, εἰαν ὡς κλη- *Clini*  
 χόμενοι ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι, πρὸ τῆς τελευτῆς λύτρῃ καταξιδύον- *corum*  
 τες, ὅτι ὁ τελευτήσας καὶ ἀναστήσεται, καὶ δια τῆτο ἐπίδεται τῆς διὰ λέ-  
 τρῃ, ἀφεσέως ἀμαρτημάτων. Recte hoc dictum interpretantes dicunt,  
 quod morti vicini, si fuerint in pietatis doctrina instructi, ob hanc spem  
 ante obitum lauacro digni fiunt, ostendentes, quod, qui mortuus est,  
 etiam resurgit, et ob id indiget remissione peccatorum. CLINICI ἀπὸ  
 τῃ κλίνῃ, a clinando, vel recumbendo dicti, erant in lecto decum-  
 bentes, quibus baptismus, aequae ac eucharistia, tanquam ἐφόδια et  
 contra mortem alexipharmaca, dabantur. Talis clinicus erat CON-  
 STANTINVS imperator, MAGNVS, nescio, an ob famam rerum  
 gestarum, an vero superstitionem, appellatus, qui anno demum aetatis

D

fuae





suae sexagesimo quinto, morbo vexatus, priusquam animam efflaret,  
 baptismum petiit ab Eusebio Nicomedensi, episcopo ariano, et acce-  
 pit. *HERONYMVS in Chron. ad ann. CCCXV.* Error hinc sane  
 emergere potuit in animis infirmorum, quasi etiam decumbentes  
 iamdum mortui baptizarentur, nisi hoc semel deciesque etiam factum  
 esse opinari liceat. Maxime tamen abest, quin huic opinioni adsti-  
 puler. Mos et enim, baptizandi Clinicos, multo recentior est, aeuo  
 Apostolico, et tunc demum inualuit, ubi, tempus baptismale, in ferias  
 paschales et pentecostales, dilatatum est, quale praeiudicium a sensu  
 Pauli reliquorumque apostolorum longe fuit alienum. Dubitarunt  
 quidem patres, quum mos, tota immergendi corpora, adhuc obti-  
 neret, an illi, qui propter morbum in grabato, vel lecto, aqua tan-  
 tum aspersi, non autem sub eam fuerant demersi, pro legitime bapti-  
 zatis habeantur, quod etiam propter casum necessitatis inde emer-  
 gentem, affirmatum legimus. *add. Can. XII. Dist. IV. de Consecrat.*  
*et CYPRIANVS Epist. LXXVI.* Huncce tamen morem longe post  
 apostolorum tempora, ponit IOANNES CALVINVS *ad loc. Pauli*  
*alleg p. 174. Crassus, inquiring, error eorum, qui baptismum differe-*  
*bant, post Pauli tempora, inoleuit, partim ex magna inscitia, partim*  
*ex hypocrisi.* Errauit tamen ipse auctor citatus, quia pro more sancto  
 baptismum super mortuis vendit, et consentaneo Christi instituto,  
 verbis hisce sequentibus: *Sed Paulus, morem hic tantum attingit*  
*sanctum et consentaneum domini institutioni, nempe, quod si Catechu-*  
*menus, qui iam animo fidem christianam amplexus erat, cernebat, mor-*  
*tem sibi imminere, partim consolationis suae causa, partim in fratrum*  
*aedificationem, baptismum petebat.* *Add. omnino GERH. IOANN.*  
*VOSSIUS Disput. XI. de baptismo, Thes. II p. 161.*

*Errores*  
*Cerinthia-*  
*norum.*

§. XIX. „Sed si Cerinthianis primitium baptizandi super  
 „mortuis ritum adscribamus, ut ex eorum dogmatibus primordia  
 „etiam petantur, necesse est. Docuit Cerinthus, statum humani ge-  
 „neris, miserum et tenebrarum plenum fuisse, priusquam Iesus  
 „Chri-





Christus in mundum venerit. Nullum enim populum summi nu-  
 minis cognitione fuisse instructum, verum singulis angelis, quo-  
 rum in tutela vixissent, seruiisse. Deum, infinita ductum clementia,  
 modum huic calamitati certo tempore posuisse, atque, ea de causa,  
 ex naturis coelestibus primi ordinis, unam ad homines legare sta-  
 tuisse, quae admissos, ab architecto mundi, errores, institutione sua,  
 corrigeret, et ad sui notitiam, coecas mentes mortalium perduceret.  
 Vixisse, quum Deus haec decerneret, inter Iudaeos, hominem quen-  
 dam, nomine Iesum, ex Iosepho et Maria, eadem, qua coeteri ho-  
 mines, lege procreatum, verum sapientia, vitaeque innocentia,  
 longe super omnes eminentem. Huncce hominem, morum non  
 minus sanctitate, quam ingenii praestantia excellentem, sapientiam,  
 diuinam, dignum iudicasse, in quem, coelestem illam virtutem im-  
 mitteret, quae vera religionis magistra, inter homines esse deberet,  
 qui etiam, quum Ioannem accederet, ut Iordanis aqua lustraretur,  
 diuinus repente homo factus fuerit. Iussu enim diuino aeonum,  
 coelestium unum, nomine Christum, in Iesum descendisse, colum-  
 bae, forma et habitu. Christum hunc, homini Iesu, non modo su-  
 premi numinis, ad id usque tempus, ne ipsi quidem mundi con-  
 ditori noti, naturam aperuisse, sed etiam facultatem miracula fa-  
 ciendi, tribuisse. Quo circa statim hunc et ea, quae de vero Deo,  
 acceperit, docere, et factis mirabilibus dogmata firmare, coepisse.  
 Iudaeorum vero principes, ab opifice huius mundi, cuius res fuerit,  
 acta, sine dubio incitatos, et commodorum suorum praeterea stu-  
 diosos, postquam diu frustra, insidias in eum machinati fuerint, ad ex-  
 tremum, manus, diuino viro iniectis. Quo facto, diuinam virtu-  
 tem, siue Christum, iterum in suum pleroma reuolasse, et hominem,  
 Iesum extremo supplicio affici, passum esse. Superasse tamen Iesum,  
 vim mortis, atque a Deo in vitam fuisse reuocatum. Corpora de-  
 hinc eorum, qui, Christo duce, supremi numinis notitiam fuerint,  
 adepti, et Legibus Mosaicis a Christo probatis, conuenienter vixe-  
 rint, praepotentis Dei voluntate vitam recepturos esse, reuocatis au-





tem, ad vitam, corporibus, Christum homini Iesu iterum iunctum,  
 ex pleromate descensurum, et Hierosolymis nouam constitutum  
 iri ciuitatem. In hoc sub Christo, pii, mille annos uiuerent, et  
 omni deliciarum ac bonorum genere perfruerentur. Praecipua  
 haec fuerunt Cerinthianorum dogmata, vel potius commenta, quae  
 cum coeteris, non imparibus his, ordine recenset illustris a MOS-  
 HE M *in Institut. Histor. Christ. maior. Sec. I. P. II. C. V. §. 16.*  
*fol. 469. seqv. in not.*

*Baptismus  
 super mor-  
 tuis ex iis-  
 dem dedu-  
 cendus.*

§. XX. His tamen praestructis, nondum tota est res abso-  
 luta. Patet etenim hinc evidentissime, quod minime in dubium vo-  
 cauerint quendam carnis resurrectionem, Cerinthiani, quod tamen  
 eosdem statuisse, putandum, qui uiuum super mortuo baptizarunt.  
 Opposuit enim Apostolus, uti supra, (§. XV.) iamdum annotatum,  
 huncce lustrandi ritum, iis, qui veritatem de reditu mortuorum ad  
 vitam plane infringebant, absurdum inde eliciens, quid mortuos iu-  
 uaret baptismus, cum nulla ipsis in aeternitate salus sit speranda. Si  
 de Marcionitis mihi sermo esset, quorum, prout §. antecedenti  
 XVII. visum, cum Cerinthianis, de mortuorum baptismate, unani-  
 mis fuit sententia, statim rem expeditam fore, non ambigo. Affir-  
 mabant enim animarum tantummodo beatitudinem, negabant au-  
 tem corporis: hinc, quale de resurrectione carnis tulerint arbitrium,  
 facile iudicandum. TERTVLL. *Lib III. adv. Marc Cap. VIII.*  
 Solus EPIPHANIVS *Haeref. XXVIII. C. V.* Cerinthianos quosdam,  
 carnis resurrectionem plane negasse, traditum nobis reliquit. Dis-  
 sonant tamen haec iis, quae §phus antecedens dedit. Aut statuendum  
 igitur esse puto, Cerinthianorum quosdam, huiuscemodi nugis fu-  
 isse addictos, eosque se insinuasse etiam animis Corinthiorum neo-  
 phytorum, aut, quod magis accedit veritati, haereleos asseclas ne-  
 gasse tantummodo improborum, et vera numinis cognitione va-  
 cuorum corporibus, cuiusmodi defectu aliquomodo etiam labo-  
 rasse, Catechumenos, ab ecclesia pura creditum est, resurrectionem  
 car-





carnalem, uti suspicatur a MOSHEIM, l. c. quibus etiam omnia, haecenus recensita, respondent. Memorant enim *Caius* presbyter, et *Dionysius Alexandrinus* apud EVSEBIVM *Hist. Eccles. Lib. III. Cap. XXVIII.* Cerinthianos per millenarium, Hierosolymis beatissime victuros, et omnium deliciarum et bonorum generum fructus capturos. Qualia vero, fructuum genera pollicitus sit, haereseos auctor, ipse affert *Dionysius, vivent nempe, homines in festis, et sacrificiis, et hostiarum mactationibus, ἐν ἑορταῖς καὶ θυσίαις, καὶ ἱερῶν σφαγαῖς.* Cerinthianorum errores, iudaicorum commentorum plenas fuisse, §. XVI. praestruxi. Ex loco autem MAIMONIDIS §. II. allegato, apparet, gentilem, vel Christianum, si ad Iudaeorum foedera admitti voluerit, necessum habuisse, ut circumcidatur, et baptizetur, addita simul ratione, quia profelytus licet circumciscus sit, nondum tamen baptizatus, pro vero Iudaeo etiam minime fuerit habitus, sed ab sacrificiorum oblatione potius prohibitus, donec bina haec impleuisset. Hinc se gryphus resoluit antea vix enodabilis visus. Baptizabant nimirum Cerinthiani per viuos, mortuos Catechumenos, quibus viuis, nondum satis instructis, ob aut imminens fati periculum, aut lustrationem suspensam, aut aliam fortassis causam, baptismus impertiri non potuit, quo minus ipsi in regno millenario (§pho anteced.) voluptatum promissione destituerentur, et mors etiam perpetua iis immineret, cum iis, qui viui a Iudaeorum sacrificiis prohibebantur, post fata etiam nulla adeundi copia, dari poterat.

§. XXI. Constat ex his, quae haecenus in medium adduxi affirmasse Cerinthum, resurrectionem quidem carnalem priuatiue, tamen ad mensuram legis Iudaicae submissis, proficuum et voluptatum carnalium plenam, quod et *Caji* apud EVSEBIVM supra allegati verba, satis indicant: *Καὶ πάλιν ἐπιθυμίας, καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλήμ, τὴν σάρκα, πολετευόμενοι δε λυεῖν.* Ac rursus homines Hierosolymis

*Hoc amplius explanatur.*





*lymis degentes, cupiditatibus et voluptatibus corporis obnoxios fore.* Magis inde liquet, eorum, de sacrificiis ibidem celebratis fabula, et quare petierunt etiam mortuorum baptismum. Nos autem edocuit HIERONYMVS in *Dialogo contra Luciferianos, Cap. IX.* baptismum Cerinthianorum, ab Orthodoxis etiam, pro legitimo fuisse habitum. Hinc concludo, curae illis fuisse, cordique, ne aberrare viderentur, ab instituto Iudaeorum simul, et Christianorum, qui nunquam profelytum baptizabant, nisi de voluntate eiusdem accipiendi, constaret. Cum autem, facultate testificandi confessionem, destituerentur defuncti, vicarios illis forsan substitutos fuisse, non absimile videtur, qui nonsolum, pro mortuis, ad interrogata responderent, sed etiam in se baptismum suppleri paterentur, cuius defuncti, cum salutis quadam efficacia, participes fieri non amplius poterant.

*Addenda*

§. XXII. Fuerunt haec, quae de baptismi, super mortuis ritu, admodum superstitioso, eiusque sensu genuino, problematis tamen loco, differere, institui. Plura in medium vocare potuissim rerum argumenta sed plagularum huic operi destinatarum limites, finem etiam narrationi imponunt. Coronidis tamen loco, racemari adhuc quaedam, necessum habeo. In testimonium vocavi EPIPHANIVM, auctorem, Criticis, non omnibus exceptionibus maiorem. Non equidem diffiteor, multis laborare naeuis, opus eiusdem, de Haeresibus conscriptum, quorum non leuissimus est, quod Cerinthum post Carpocratem, haereticum collocet, hunc autem non, ante Hadriani Imperatoris tempora vixisse, satis expeditum habeo. Sed, idem fecit etiam TERTVLLIANVS aliique. Confundit etiam Cerinthum cum Ebione, *Haeref. XXX. 24.* Ebionis vero cuiusdam existentia, a plurimis in dubium vocatur. Hocce etenim nomen, ex hebraicis deriuari et idem, ac pauperem, significare, grammatici nos docent. Cum vero veteres Christiani





stiani ironice saepe pauperes sint appellati; ITTIG *de Haeresiarch*  
*Sec. I. C. VI. §. 1. VITRINGA Obseruat. Lib. V. Cap. X.* exinde  
etiam Ebionitarum appellationem, Christianis fuisse impositam, tra-  
dunt a MOSHEIM, in *Dissertat. ad Hist. eccles. spect.* p. 552. et  
ARNOLDVS in *der Kirchen- und Reher-Historie*, T. 1. L. II. Cap. IV.  
§. 13. At enim vero multos in hoc dicendi genere habet, sui simi-  
les, praesertim TERTVLLIANVM, AVGVSTINVN, THEO-  
DORIVM, et PHILASTRIVM. Quis vero vim probandi iis  
adimere velit? Spargunt et enim omnia confuse, quae de haere-  
ticis obuenerant iis, nulla sane temporis ratione seruata, hinc etiam  
factum puto, quod CLEMENS ALEXANDRINVS, *Stro-*  
*mat. Lib. VII. §. XVII.* Simonem Magum, infra Marcionem collo-  
cet, tamen de contraria inter omnes constat. Nullus vero ante  
seculum quartum, et EVSEBIVM, unquam extitit historicus ac-  
curatus, et non minor constantia et accuratio inuenitur, quam in  
veterum Christianorum monumentis et in aetate primorum cor-  
ruptorum religionis christianae definienda. Existimandum igitur  
cum laudatissimo a MOSHEIM in *Instit. Histor. Christ. maior.*  
*Sec. I. Part. II Cap. V. p. 440.* veterem computationem, cui tot  
testes suffragantur, nouae semper anteferri posse, cum nihil iis in  
*contrarium sit scriptum, quod eam valde infirmet.*



VIR





*VIR HONORATISSIME*  
*AMICE AESTIMATISSIME.*

**N**on vexauit me pruritus quidam scribendi, qui vulgo, das Autor Fieber, appellatur quum primas epistolae huius dedicatoriae, duxi lineas, nec etiam tam vanus sum ut arrogarem mihi, in praemissis aliquid, quod non a praestantissimis viris, nunquam sine laude nominandis, iam sit absolutum, sed studium aestimationis, et amicitiae vinculum, quo me longe abhinc Tibi habes obstrictum, stimulum concitauit, iis, qui iam idem, quod ego, sentiunt, etiam suffragandi, et omnigena prosperitatis emolumenta, votis expetendi, nasutorum quorundam scommata, quibus infectantur huiuscemodi narrationis genus, haud curans. Officio Diaconi, omni, qua par est, laude ac honore hactenus perfunctus, locum ARCHIDIACONI nunc occupas, quem Collega Tuus, beate defunctus, tibi cessit, sententiam in id ferente senatu, et populo ouante, quibus non minor glo-

RIN

ria



ria suffragandi, quam tibi parendi, fuit, amore vobis inuicem mancipatis. Laetor omnino, et maximopere laetor, de felicitate TVA, quum mihi fors amici, aequae ac mea, in votis semper sit. TV, VIR HONORATISSIME, talem TE semper erga me exhibuisti, qualem TE primo intuitu iudicavi, adstipulantibus his, quibus, non oris tui suauitas solum, sed etiam vitae integritas et humanitas, in deliciis fuit. Hinc TE videns, desiderio familiaritate TECVM coniungi, mox flagraui, et quod dictum, statim etiam, factum est. Intraui domum TVAM, te citante, me autem desiderante, et omni benevolentiae nota, nunquam non me excepisti, et ego plenus inde oblectationum iterum reuersus. Nec minorem laudem iis debeo, quos tibi iunxit affinitatis nexus. Salua reliquorum existimatione, nominandus praecipue, familiae caput, Dominus M. IOANNES CHRISTIANVS KLOTZIVS, rerum sacrarum, in circulo Bischoffswerdensi, antistes summe reuerendus: animi tamen pendens, an patronum magis, an vero amicum, appellarerem? Quare ingratitude notam omnino incurrerem,

E

rerem,





rerem, si ratione temporis, minus usus, ac optandi futurum, sollicitus fuisset, de officio nouiter accepto, gratulandi, pariter TIBI, et ecclesiae patronis, de sorte bonis admodum auibus laeta. Accipe igitur plagulas haec, in recordationem praeteriti, et spem futuri. Viribus, maius quid offerendi, destitutus, et verbis, TIBI apprecandi, id quod, in scrinio pectoris absconditum esse, sentio, remotis gratulantium ambagibus, quas consuetudo affert, rerum tyrannis, et quibus non indigitatur id, quod in intimo pectoris latet. Deum precor optimum, maximum qui TE dignum censuit, de labore, in vinca Christi, peragendo, ut in officio nouiter TIBI demandato, non minus, ac relicto, TE incolumem sustineat et fospitem, feruetque etiam, in compensationem, meritorum, ad plures consequendos honores. Conferuet etiam coniugem, nomine TIBI charissimam et omine, liberos amantissimos, et reliquos, consanguinitatis et affinitatis vinculo TIBI iunctos, in omnigena prosperitate. Reliquis autem, licet non expressis, optatis tamen et, in quibus aliqua non alieni a litteris, animi, significatio est, addat calculum.






culum, Me autem, ne in ultimum ordinem  
eorum colloques, peto, qui TE ardentissime diligunt,  
et digneris semper, in id allaboraturum, para-  
tum quod omnino amicitiae ratio exposcit et non  
solum tibi placere, sed etiam frugi esse possit, et  
qui TE nunquam, nisi memoria sui obliterated, etiam  
obliuioni dabit. Vale et mihi faue. Dabam

Stolpenae, ex Museo meo, die VIII. Iduum

Decembris A. R. S. clcclcccliii.





q. 7. 729 (X205350)

colunt. Me autem, te in ultimam ordinem  
communicat, peto, cui Te ardentissime diligunt  
et dignis seruis, in id alaboratum, par-  
tum quod omnino sanctissimae ratio expedit et non  
solum tibi placet, sed etiam tibi esse potest, et  
qui Te ad quodam, in memoria tui oblitus, etiam  
oblivioni dabit. Vale et mihi fave. Dabam  
Stolpense, ex Mense meo, die VIII. Iduum  
Decembris A. R. S. C. 1601.



n. r.





73  
Pi  
727

DE  
SVPER MORTVIS  
LI I, COR. XV, v. 29.  
COMMENTO  
EDIASMA

IRO  
ERENDO, AMPLISSIMO,  
SSIMOQVE  
MINO

HERRMANNO  
MAGISTRO

ACTENVS, AD AEDEM,  
DAE, DIVO NICOLAO  
QVAM MERITISSIMO  
O SVO HONORATISSIMO,  
AD OFFICIVM

DIACONI  
EVEHERETVR,  
AMICITIAE TESSERAM  
CAT, DEDICAT,

CIO NVPER IPSI COLLATO  
ATVLATVR  
RIDERICVS Klobsch  
CVLATVS, ET PRAEFECTVRAE  
ACTVARIVS IVRATVS

Litteris MATTHAEANIS.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIAN.

